



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 29. Christus est pastor bonus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

October.

## DIES XXIX.

## Christus est Pastor Bonus.

## I.

**E**go sum pastor bonus, inquit Christus. Hiscce ipsius verbis credere quidem possemus; vult nihilominus eorum veritatem nobis demonstrare per curam, quam suscipit, omnes boni pastoris partes erga oves suas implendi. 1. Quemadmodum omnes perfecte cognoscit, sic earum quamque nomine suo compellat, eisque loquitur eo modo, ut vocem ipsius intelligant, & ab alijs distinguant. 2. Ante eas vadit, ut eas ad pingua educat pascua, ubi eas non tantum verbo, suaque gratia pascit, sed & propria carne nutrit. 3. Eas fortiter à luporum rabie, furumque fallacia tuetur. 4. Aberrantes zelo admirando quærit, quin ab infidelitate ipsum deserendi, aut ab earum pertinacia ipsum fugiendi absterri se patiatur. 5. Ubi eas invenit, tam benigne eas tractat, ut nec errorem ipsis exprobret, quem tam boni pastoris ductui se subtrahendo admisere, nec laborem, quem ipsi creavere.

Io. 10. 11.

Proprias oves vocat  
nominatim.  
Ibid.

Ibid.

Non rapies eas quisquam de manu mea.

Nonne dimittit nonaginta novem in deserto & vadit ad illam, qua perierat.

Luc. 15. 4.

G 5 II. Quia



October.

*Imponit in  
humeros suos  
gaudens  
Luc. 19.*

*Congratula-  
mini mihi.  
quia inveni  
voem meam  
ibid.*

*Ego veni, ut  
vitam hā  
beant, & a.  
bundantius  
habeant.  
Io. 10. v. 10.*

II. Quia verò aberrando fatigatae sunt, iisdem opitulaturus, difficultatem reditus, & labores, quos ambulando, & ad ovile suum revertendo subiturae essent, minuit, easque, licet labores ab ipso aberrandi propria sponte susceperint, humeris suis imponit adeò lætus, quòd illas caulæ suæ restituere possit, ut omnes alios felicitatis suæ participes, neminemque ejusdem ignarum esse velit. Denique charitati, generositatque erga oves suas eousque fræna laxat, ut curas, & labores suos eis impendere non contentus, vitam etiam suam pro illis immolare cupiat, ut, sicut ipse ait, vitæ corporis sui jacturâ, eis vitam animæ, & quidem vitam abundantem, & æternam afferat. Et sanè, an non omnia erga nos boni pastoris implet munera? sed, possumusne dicere, nos veras ipsius oves esse? agimusne talem vitam?

III. Quoties, mi Divine Pastor, amabili tuæ directioni sequendæ adeò me subduxi, ut misera etiam cæcitare me crederem ductui furis cujusdam, diaboli videlicet, vel mundi, qui me non alium in finem ad se pellexit, quàm ut me perderet, & jugularet? quoties me quaesisti? & quoties ego sollicitudinem tuam in me qua-



querendo contempsi, laboresque tuos in-  
utiles reddidi? tu nihilominus animum  
non despondisti, Domine. Jam probè a-  
gnosco præteritos meos errores; & per  
confusionem, atque dolorem, quem de  
peccatis meis concepi, ac per sin-  
cerum desiderium, quo flagro, ad te re-  
deundi, sentio, defatigationes tuas non  
penitus fuisse inutiles. Tuum est operi  
tuo coronidem imponere, accommodan-  
do te imbecillitati meæ; & cum adeò de-  
bilem me inveniam, ut, ubi ad te redeun-  
dum, ne gressum quidem ex me movere  
queam; arripe manum meam, vel potiùs,  
humeris me tuis impone in ovile tuum de-  
laturus, in quo perseverare statuo, spe fre-  
tus, me nunquam amplius inde recessu-  
rum.

*Dic frequenter cum Propheta: erravi Domine, sicut ovis, quæ perijt: sed, nisi ipsemet me qua-  
ras, ad te redire non possum.* *Psalm. 118.  
v. 176.*

Bonus pastor dat animam suam pro ovi-  
bus suis. *Ioan. 10. v. 11.*

Verè pastor bonus, quia plus suas oves,  
quàm se amavit, & morti se tradidit, ut  
nos à morte revocaret. *Aug. Serm. 99.*

DIES